

Nam quicquid pertinet ad veritatem sacrae coenae, est ex  
iis locis eruendum, qui de sacra coena tractat. *Quomodo au-*  
*tem Evangelista & Paulus exquisitissime concordent in toto hoc ar-*  
*gumento in explicatione verborum Institutionis perspicue ostendi-*  
*mus, disput. 1. de sacra Domini coena.*

92. *Asserto igitur τὸ ἐν τῷ verborum Christi, consequitur*  
*tropum sacramentarium admitti non debere aut posse. Quem gene-*  
*ratim refuto sequentibus argumentis. 1. Nullus tropus in scriptura*  
*interpretatione admittendus est, qui non in ipsa scriptura monstra-*  
*ri, & ex ea explicari possit. Ratio est, quia interpretatio scripturae non*  
*est ex humano cerebro formanda, sed haurienda ex ipsa scriptura. 2.*  
*Petr. 1. v. 20. Tropus autem sacramentarius in ipsa scriptura mon-*  
*strari & ex ea explicari non potest, ut ostendit viva praxis Sacramen-*  
*tariorum, qui in hunc usq; diem metonymiam illam suam in scriptu-*  
*ris invenire non potuerunt. Quare tropus sacramentarius in verbo-*  
*rum Christi interpretatione non est admittendus.*

93. 2. *Nullum est dogma fidei Christianae ad salutem ne-*  
*cessarium, quod non alicubi in scripturis divinis, propriis & perspi-*  
*cuis verbis tradatur. Alioquin enim fides nostra non niteretur verbo*  
*Dei, sed opinionibus humanis. Ac proinde quicquid in descriptione*  
*Christianae fidei figurate, modificate, tropice dictum in sacris Biblicis oc-*  
*currit: id ex aliis manifestis, perspicuis & clavis, iisq; non peregrinis &*  
*alienis, sed homogeneis scripturae locis, demonstrari & exponi potest &*  
*debet. Atqui dogma Calvinianum de metonymia sacramentali nu-*  
*spiam in sacris literis traditur propriis & perspicuis verbis, ut constat.*  
*Quare dogma illud Calvinianum de metonymia sacramentali non*  
*est dogma fidei Christianae ad salutem necessarium.*

94. *Excipit Auctor ille, majorem esse falsam: quia, inquit,*  
*articulus de descensu Christi ad inferos, & articulus ei oppositus de*  
*sessione ad dextram Patris, est ex praecipuis articulis, & tamen figu-*  
*rate intelligitur. R. Christum vere descendisse ad inferos, non me-*  
*taphoricè vel metonymicè orthodoxa & Catholica credit Ecclesia.*

*Quan-*